

**DE GAIO VETTIO AQUILINO
IUVENCO CARMINIS
EVANGELICI POETA ET VERGILI
IMITATORE. DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649767465

De Gaio Vettio Aquilino Iuvenco Carminis Evangelici Poeta et Vergili Imitatore. Dissertatio
Inauguralis Philologica by Hermann Widmann

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

HERMANN WIDMANN

**DE GAIO VETTIO AQUILINO
IUVENCO CARMINIS
EVANGELICI POETA ET VERGILI
IMITATORE. DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA**

Praeceptori optime de se merito

Eduardo Norden

Dr. phil., professori o. p.

pietatis ergo.

Caput I.

Priusquam disputemus, quomodo Iuencus evangelia versibus hexametris expresserit et quomodo Vergilio usus sit, nobis sunt tractandae hae quaestiones gravissimae, utrum poeta secutus sit textum solum graecum an latinum solum textum inspexerit an utrumque. Ex Hieronymi quidem verbis, qui in libro «de viris illustribus» LXXXIV dixit: «*Iuencus . . . quattuor evangelia hexametris versibus paene ad verbum transferens quattuor libros composuit*», concludi posse mihi videtur Iuencum evangelicum carmen suum e solo textu graeco composuisse. Nam «*transfertur*» aliquid e lingua aliena in sermonem, qui notus est nobis. Rectene igitur dicit vir ille doctissimus? Estne Iuenci carmen translatio paene ad verbum confecta? Magis equidem putaverim Iuencum orationem textus latini solutam ita transtulisse, ut versus hexametri fierent. Phrasem «*paene ad verbum transferre*» nihil aliud esse puto nisi versionem vocabuli graeci «*παράφρασις*» sicut vocem «*explicare*», quam Hieronymus aliis duobus locis adhibet, quibus Iuenci mentionem facit. Utroque loco dicit auctor doctissimus «*Iuencum . . . historiam domini salvatoris versibus explicasse*¹⁾». Praeterea obstat res ipsa iis, qui Iuenci carmen putant esse translationem. Nam quicumque hoc Iuenci carmen legerit, persuasum habebit illud minime dici posse translationem veram. Etsi Iuencus materiam traditam non mutat, etsi nonnumquam singula vocabula vel maiores vel minores sententias bibliorum sacrorum

¹⁾ ep. LXX § 5 vol. I p. 430 ed. Vallarsii. — Schoene, *Eusebi chronicorum libri duo*, vol. II p. 192 (ad Ol. CCLXXVIII).

retinet, tamen nequaquam eius carmen est translatio, nisi forte quis dicit locum hunc Iuv. II 541 sq.¹⁾:

«*Lex omnis summam baptistae ad tempora cepit
Atque profetarum finis concluditur idem*»

ad verbum esse translatum e Mtth. XI 13: «πάντες γὰρ οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου ἐπροφῆτευσαν». Similes locos quos afferre possum omitto.

Qui de Gaio Vettio Aquilino Iuvenco sive brevius sive accuratius scripserunt²⁾, omnes in eo consentiunt Iuvencom materiam suam maxime duxisse e versione latina et textum graecum interdum inspexisse. Omnes autem, qui dicunt Iuvencom interdum textu graeco usum esse, Gebseri auctoritate nituntur, qui unum exemplum affert argumenti causa. Is enim in capite B dissertationis³⁾ ubi tractat «*de utilitate exegetica huius operis*», dicit p. 43: «*hoc unum tantum commemorare volumus, retinuisse Iuvencom IV 696 graecam vocem, quam etiam Mtth. XXVII 48 adhibuit, σπόγγον dico*».

— *Tunc concitus unus*

*Cogebat spongo turpi calamoque revincto
Impressum labiis acidum potare saporem.*

Haec vox quae alibi haud exstat, testis est nostrum codice graeco usum esse. Itala et Vulgata habent «spongia». Ita Gebserus. Cum re vera vox «spongus» neque in codicibus ante Hieronymum neque in Vulgata neque umquam alias in litteris latinis inveniatur, Gebserus recte argumentatus est. Vox «spongia» in versu hexametro adhiberi non potest, nisi forte nominativus singularis ponitur. Sed in carmine disquirendo alia exempla inveni, quae huic rei argumento sint.

¹⁾ Numeris usus sum Huemeri.

²⁾ Nomina eorum qui de Iuvenco scripserunt scriptorumque quibus de eo agitur reperiuntur in his libris:

a) *Realenzyklopädie für protestantische Theologie u. Kirche IX s. v. Iuvenicus (Leimbach)*;

b) Bardenhewer, *Patrologie, Freiburg i. Br. 1901 p. 368*;

c) Martin Schanz, *Gesch. d. röm. Litterat. IV. T. in „Handbuch der Klass. Altertumswissenschaft“ VIII.*

³⁾ Gebser, *de Gaii Vettii Aquilini Iuveni vita et scriptis, Jenae 1827.*

Exempla a me reperta partim illi Gebseri exemplo similia sunt, Iuvenicum enim interdum vocabulum graecum recepisse demonstratur, cum codices latini vocem latinam praebeant, partim sunt talia, quibus poetam nonnumquam accuratius convertisse appareat quam eos qui textum graecum latine interpretati sunt.

Dubium non est quin vocabulum «*noti*», quod legimus apud Iuvenicum II 707: «Et regina *noti* . . .» sumptum sit sicut «spongius» supra memoratum e textu graeco ipso, in quo legitur Mth. XII 42 «*βασιλισσα νότου*», cum omnes codices latini habeant «regina *austri*».

Simile exemplum praebet Iuv. IV 732 = Mth. XXVII 63, quo in loco vocem graecam «*πλάνος*» obtinet, quam omnes codices latini verterunt «*seductor*».

Graviorem autem argumenti vim habent ea exempla quae in accuratiori interpretatione posita sunt.

Quod apud Lc. I 42 legimus «*καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας*», quod latini convertunt «*et benedictus fructus ventris tui*», quod Iuvenicus exprimit I 87: «*felicem gestans uteri sinuamine fetum*», quis est qui neget Iuvenicum vocem graecam «*κοιλίας*» paene ad verbum transtulisse per «*uteri sinuamen*» conservantem vim «*cavati*», quae est in voce graeca «*κοιλία*».

Apud evangelistam Ioh. II 10 legimus «*πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθεισιν . . .*», quae in codicibus latinis vertuntur «*omnis homo primum bonum vinum ponit . . .*»; sed apud Iuvenicum II 149 legimus:

«*Increpat . . . , quod pulchra reservans
. . . . vina dedisset.*»

Dubium non esse mihi videtur, quin Iuvenicus per v. «*pulchra*» magis ad verbum transferat «*καλόν*». Pluralem adhibet causis metricis coactus.

Apud Ioh. V 43 legitur «*εἰάν ἄλλος ἔλθῃ τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ἐκαῖνον λήψεσθε*», quae verba convertuntur in codicibus latinis «*si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*». Sed Iuvenicus exprimit hanc sententiam versu II 684:

«*. . . . veniet alter,
Nomine quem fultum proprio gens vestra sequetur.*»

Quis est qui neget vocabulum «*proprio*» omnino idem esse ac graecum «*ιδίω*», quod ut supra dixi codices latini pronomine reflexivo «*suo*» explicant.

Matthaei verba XV 17 «*οὐπω νοεῖτε ἔτι πᾶν τὸ εἰς πορευόμενον εἰς τὸ στόμα εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ. . . .*» codicum antehieronymicorum auctores interpretantur «*non intellegitis quoniam omne quod in os intrat in ventrem vadit. . . .*» excepto codice Cantabrigiensi qui habet «*cadit*», quod mendum esse potest pro «*vadit*». Sed «*χωρεῖν*» est neque «*vadere*» neque «*cadere*», si recte traditur, sed «*cedere*», quod apud Iuvenicum reperimus III 164/65:

*«Nam quaecumque . . . veniunt extrinsecus ori,
In ventrem cedunt . . .».*

Locus ergo testis videtur esse, Iuvenicum inspexisse textum graecum.

Vocabulum «*δλιγόπιστοι*» Mth. XVI 8 in codicibus latinis convertitur «*modicae fidei*», sed Iuvenicus magis ad verbum exprimit III 244 «*quam parva fides . . .*» Nam «*δλίγος*» est non tam «*modicus*» quam «*parvus*».

Gravissimo argumento est locus hic Mth. XXIII 37 «*ὄν τρόπον ὄρνις ἐπισυνάγει κ. τ. λ.*», quod vocabulum «*ὄρνις*» omnibus in codicibus latinis vertitur per «*gallina*»; sed Iuvenicus IV 81 ad verbum vertit «*ales*» (*ales uti dulces solita est sub corpore pullos — fovere*).

Nescio an etiam hoc exemplum proferre liceat:

Apud Mth. XIX 29 legitur vocabulum simplex «*λήμψεται*», quod omnibus in codicibus latinis vocabulo composito «*accipiet*» redditur, cum Iuvenicus simplex retinuerit vertens III 547: «*capiet*»; sane fieri potest ut Iuvenicus necessitate metrica coactus sit vocabulum simplex praefere composito.

Locus autem I 667 quo legitur vocabulum simplex «*rumpent*», quod omnino respondet voci textus graeci simplicis «*ῥήξεσιν*» (Mth. VII 6), quod omnibus in codicibus latinis redditur vocabulis compositis vel «*corrumpant*» vel «*disrumpant*», argumenti pretium habere mihi non videtur, cum Iuvenicus hoc loco verbis Vergilianis usus sit Aen. IX 580: «*. . . letali volnere rupit.*»

Eodem modo retinet Iuvenus vocabulum textus graeci compositum, quibus locis textus latini praebent simplex:

Apud Mtth. XX 25 «... οἱ ἄρχοντες τῶν ἔθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν.» exstat vocabulum compositum «κατακυριεύουσιν», quod cum omnibus in codicibus latinis explicetur vocabulo simplici «*dominantur*» Iuvenus III 603 magis vertit ad verbum:

*«Gentibus infidis celsa dicione potestas
Imponit quoscumque super dominantur eorum
Exercentque trucem subiectis urbibus iram».*

Ita iam Arevalus¹⁾ quoque explicavit dicens: «*Lego cum manuscriptis «quoscumque super dominantur eorum» et possunt haec duo verba coniungi «superdominantur» ut «superingerere, superaddere, superducere» et similia.* Qua interpretatione tolluntur omnes difficultates, quas hic locus attulit iis, qui Iuvenum aut explicaverunt aut ediderunt, ita ut minime opus sit coniectura. Liceat ergo mihi nunc adicere, quomodo locus ille sit construendus III 602 sq.: «Gentibus infidis celsa dicione potestas imponit quoscumque = eos quicumque superdominantur eorum exercentque trucem subiectis urbibus iram». Recte igitur adnotat Hueimerus in editionis suae indice p. 157 et 159 «dominari cum genetivo». Ergo Iuvenus reddit ad verbum κατακυριεύουσιν αὐτῶν.

Alter locus qui est argumento Iuvenum inspexisse textum graecum est IV 481 = Mtth. XXVI 36. Evangelista utitur hoc loco verbo «καθίσατε», quod codicum latinorum auctores verbo simplici «*sedete*» reddunt; sed Iuvenus dicit «*iussit residere ministros*» compositum retinens. Et paucis versibus post IV 534 = Mtth. XXVI 55 idem verbum «ἐκαθεζόμεν» Iuvenus iterum reddit per «*residere*», cum codicibus latinis reddatur hic quoque per «*sedebam*» solum.

¹⁾ in Mignii editione quae vocatur: «*Patrologiae cursus completus etc.*» serie latina tom. XIX p. 264.

Quod diu putavi locos hos duos Iuv. I 209 = Lc. II 34 et Iuv. II 716 = Mtth. XII 43 esse testimonio Iuvenum adhibuisse textum graecum id falsum esse postea intellexi.

Loco I 209 «*hic puer ad casum populi datur . . .*» vox «*casus*» a Iuenco ad verbum translata esse mihi videbatur e graeca voce «*πτῶσις*», quam codicibus in latinis per «*ruina*» reddi intellexi; iam vero codice in Veronensi etiam vocem «*casum*» inveni.

Similiter res se habet loco altero II 716, quo Iuenci circumlocutionem negativam «*qua nulla excurrit fontani gurgitis unda*» petitam esse putavi e vocabulis graecis «*δι' ἀνύδρων τόπων*», quod omnibus in codicibus latinis vel per «*arida loca*» vel per «*arida et deserta*» exprimi arbitratus sum. Quae opinio nunc refutatur, cum codicibus in latinis et Cantabrigiensi (d) et Bobbiensi (k) translationem accuratam invenerim «*inaquosa*». Iuencus ergo circumlocutionem sumpsisse potest e textu latino.

Quibus exemplis allatis intellegitur Iuencum textu graeco usum esse. Nunc ad quaestionem alteram transgrediamur, num textum latinum quoque adhibuerit, cuius rei varia afferam exempla, primum talia, quibus demonstretur Iuencum recepisse e textu latino translationes minus accuratas.

Matthaei verba V 39 «*ἀλλ' ἔστις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σου σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην*» in omnibus fere codicibus latinis vertuntur «*si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram¹⁾*». Neminem effugit hanc versionem non esse accuratam: nam cum legamus in graeco «*ἔστις*», quod latine est «*quicumque*», non ita in versionibus latinis legitur, sed vel «*si quis*» vel «*qui*»; cum vocabulum «*ῥαπίσει*» latine proprie significet «*virga*» vel «*palma caedere*», interpretantur versiones latinae haud accurate «*percutere*»; cum «*στρέψον*» latine sit ad verbum transferendum «*verte*», ut codex quoque Bobbiensis similiter habet «*converte*», in

¹⁾ in cod. Bobb. (k) in John Wordsworth-White: *Old Latin Biblical Texts II*. legitur: «*set qui te expalmaverit . . . , converge illi et alteram*».